ad nihilum apti.

¶Circa bonum fructum quatuor attenduntur.

¶Primum est utilitas. Unde multe arbores sunt inutiles. ut quercus et salices. Tales sunt ociosi: qui nihil utile operantur. Unde Iheremie.xxij. ¶Scribe virum istum qui in diebus suis non prosperabitur.

¶Secundum est sinceritas: ut non sit interius putridus. Tales sunt ypocrite: quorum vita exterius apparet pulchra: sed interius latet conscientia vermiculosa. Math.xxv. ¶Ve vobis ypocrite. quia similes estis sepulchris dealbatis: que de foris parent hominibus speciosa. intus vero plena sunt ossibus mortuorum et omni spurcicia. sic et vos quidem apparetis a foris hominibus iusti. Intus autem pleni estis ypocrisi et iniquitate.

¶Tercium est sapiditas: ut non sit insipidus vel amarus. Tales sunt accidiosi et melancolici: qui pre amaritudine mentis nesciunt affabiliter conuersari. Contra quos sap.viij. ¶Non habet amaritudinem conuersatio illius.

¶Quartum est sanitas ne generet infirmitatem. Tales sunt dissoluti: quorum dicta et facta aliis sunt nociua. Unde Job.ix. ¶Verebar omnia opera mea sciens quod non parceres delinquenti. Hec quatuor considerantur in opere bono. Est enim utile. quia meritorium vite eterne. Sincerum. quia procedit ex bona intentione. Sapidum. quia delectat proximum. Sanum. quia nulli obest sed omnibus prodest. Ad hos fructus inuitat sponsum ecclesia cant.v. ¶Veniat dilectus meus in ortum suum: et comedat fructum pomorum suorum.

¶Dominica nona.

¶Epistola. ¶Prima cor.x.

Fratres. Non simus concupiscentes malorum. sicut et illi concupierunt. Neque ydolatre efficiamini sicut quidam ex ipsis quemadmodum scriptum est. Sedit populus manducare et bibere: et surrexerunt ludere. neque fornicemur sicut quidam ex ipsis fornicati sunt. et ceciderunt una die viginti tria milia. Neque temptemus christum sicut quidam eorum temptauerunt. et a serpentibus perierunt. neque murmuraueritis sicut quidam eorum murmurauerunt et perierunt ab exterminatore. Hec autem omnia in figuris contingebant illis: Scripta sunt autem ad correptionem nostram in quos fines seculorum deuenerunt. Itaque qui existimat stare videat ne cadat. Temptatio vos non apprehendat nisi humana. Fidelis autem deus est qui non patitur vos temptari super id quod potestis. Sed faciet cum temptatione prouentum. ut possitis sustinere.

¶Euangelium ¶Luce.xvi.

In illo tempore. Dixit ihesus discipulis suis parabolam hanc. Homo quidam erat diues qui habebat villicum. et hic diffamatus est apud illum quasi dissipasset bona illius. Et vocauit illum et ait illi. Quid hoc audio de te. Redde rationem villicationis tue. Iam enim non potes villicare. Ait autem villicus intra se. Quid faciam. quia dominus aufert a me



TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
http://tudigit.ulb.tu-darmstadt.de/show/inc-iii-182/0447
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt
gefördert durch die DFG